



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.13. Capitulare anni septingentesumi septuagesimi noni.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

Sæcul. VIII. que ad Rhenum penetrant, agros va-  
 A. C. 779. stant, prædas agunt, Ecclesiæ incendunt,  
 Virginibus Deo Sacris vim inferunt.  
 Mox comperto Caroli reditu recedunt,  
 & ab ejus Ducibus prælio fusi in patriam  
 reverti coguntur.

## §. XIII.

*Capitulare anni septingentesimi septu-  
gesimi noni.*

**C**um Rex Carolus hoc anno Heristalli  
 Diem Natalem Domini Nostri & Fe-  
 stum Paschæ anno sequente septingentesi-  
 mo septuagesimo nono celebraret, ibi Ca-  
 pitulare viginti trium (\*) Articulorum  
 conditum est, quorum aliqui ad Religio-  
 nem pertinent. Monasteria reformari ju-  
 bentur, & Abbatissæ sine intermissione in  
 suo Monasterio residere. Episcopi licen-  
 tiam habeant homines incestuosos emen-  
 dandi, atque etiam viduas lapsas. Qui  
 libet det Decimas, quæ secundum iusso-  
 nem Episcopi dispensentur. Homicidæ  
 & ceteri rei, quos Lex morte puniri ju-  
 bet, si ad Ecclesiam confugerint, non in-  
 veniant ibi præsidium, nec eis victus pre-  
 beatur. Perjuro manus amputetur. Si  
 dubium fuerit Pars utraque ad Crucem  
 stet. Is modus tunc temporis erat ex-  
 primendi verum; nempe Actor & Reus  
 stabant

**Cap. to. I.**  
**p. 195.**  
**c. 3.**  
**c. 5.**  
**c. 7.**  
**c. 8.**  
**c. 10.**  
**V. Cloff.**  
**Cang.**

(\*) In ipsis Actis visuntur Articuli XXIV.

stabant ante Crucem, & qui prior in ter- Sæcul. VIII.  
ram collabebatur, causa cadebat. In A. C. 779.  
Capitulari subjungitur, standum esse ju- c. II.  
dicio Episcopi, si aliquis Comitum accu- c. 13.  
setur, quod surem inique occiderit. Ec-  
clesiæ etiam tunc temporis Decimas &  
Pecarias Regi, sicut olim Pipino, pen-  
debant; sed prohibetur, ne noxæ exi-  
gantur.

Sequitur Mandatum ad peragendas *Chron. Mois.*  
preces publicas & dandam eleemosynam *Petav. ann.*  
promulgatum, quia ariditas terræ & fa- 779.  
mes hoc anno septingentesimo septuage-  
simo nono Francos affligebat. Cuilibet  
Episcopo præcipitur, ut tres Missas can-  
tet, & ter Psalterium recitet. Tum om-  
nibus ab Episcopo usque ad Laicum uxo-  
rem habentem injungitur, ut biduo je-  
junent. Præterea quilibet Episcopus,  
Abbas, vel Abbatissa pauperibus det li-  
bram unam argenti, vel aliquid huic  
æquivalens, & quatuor pauperes usque  
ad tempus messis alat. Idem Comites  
& alii pro viribus præstare tenebantur,  
nam a quolibet exigebatur, ut quidquam  
secundum modum suarum facultatum  
conferret.

Hoc quoque anno Saxones acie vieti,  
& Westphali, nempe major illius Natio- *Annal. Loi-*  
nis pars, imperata facere coacti. Cete- *sel.*  
ri, quorum sedes ultra Visurgim positæ  
erant, datis obsidibus fidem se servaturos

Cc 2 jura-

Sæcul. VIII.  
A. C. 779.

jurarunt. Anno sequente septingente-  
mo octogesimo, Rex res Saxoniz præ-  
sens compositurus advenit, & ad Lippa  
amnis fontes comitia celebravit. Tum  
cum usque ad Albim processisset, in lo-  
co qui lingua vulgari *Orabim* dicebatur,  
in adversa oræ ripa, multi Sacro fonte  
abluti sunt: Vinidorum quoque & Fri-  
sonum plurimi baptizati. Tunc ergo  
*Chr. Mois.* Rex Carolus, ut Religionem Christia-  
an. 780. nam in Saxonia stabiliret, totam Regio-  
nem Episcopis, Presbyteris & Abbatibus  
distribuit, qui ibi habitarent & prædica-  
rent; neandum tamen res ita erant pac-  
ta, ut Sedes Episcopales figi potuissent.

#### §. XIV.

##### *S. Sturmii pars vitæ ultima.*

*Eginh.* Sub initium hujus belli Carolus quos-  
dam Sanctæ vitæ Presbyteros mis-  
rat, qui conversioni Saxonum incumbe-  
rent; hujus enim amore potissimum ad  
arma capienda incitatus fuerat. (\*) Pre-  
ceteris celebre sibi nomen S. Sturmius  
Abbas Fuldensis, & S. Willehadius pe-  
pererunt. Ab obitu S. Bonifacii S. Stur-  
mius

Sup. lib.  
XLII. §.  
43.

(\*) Religionis propagandæ studium non ful-  
set justa belli causa, nisi & aliæ extitissent, que  
magnis Imperiis, quale tunc Francorum erat, ad  
bellum populis finitimiis inferendum vix unquam  
defun-